



Iohannes ille in Germania natus, & in literis sacris & humanioribus institutus adeò profecit, ut omnium consensu Anno post Christi natiuitatem millesimo quadringentesimo Theologiae Doctor crearetur. Erat is uir integerrimus, & Ecclesiasticae ueritatis amantissimus. Cum itaque uideret Ecclesiam Christi superstitionibus ferè obrutam, de his librum conscripsit, ac homines admonuit, ut illas relinquerent. In primis autem detestabatur miracula falsa, & à monachis passim excogitata. Itaque de huiusmodi quoque librum composuit. In eo recenset aliquot fallacias auarorum sacerdotum, utpote de imagine Christi sudante, de rubi-

gine in manubrio crySTALLINO pro sanguine Christi Cracouiae adorato, de resina ex lignea imagine defluente, & eodem modo pro sanguine Christi habita. De sacerdote Bohemico, qui suo sanguine ad decipiendum populum ostiam tinxit. De ementito sanguine Christi in Vuelsnach oppido Saxoniae, & multis alijs huiusmodi. ex quibus colligere licet, uiris doctis & pijs

iam tum huiusmodi monachorum fabulas plurimum displicuisse. Illyr. in Cat. testium

ueritatis.